QUÆSTIO MEDICA,

Cardinalitiis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ sextâ Februarii 1711.

M. JOANNE-BAPTISTA DOYE, Doctore Medico, Præside.

An à cibo non tuta cogitatio?

I.

ANIMUM hominis ex altissimo domicilio depressum esse quis neget? cùm de rebus suprà naturæ fastigium evectis sentiat, cùmque principia rerum & causas causarumque prægressus & antecessiones exploret. Quis non arguat immortalem? cùm rebus præsentibus adjungat atque annectat futuras. Quidni & ab ipsius Dei naturâ delibatum esse fateamur? cùm pudoris atque verecundiæ particeps, cùm justus, mansuetus, beneficus, prudens; cùm innumeris dotibus ornatus videatur, quæ nihil terreni sapiunt, divinamque planè spirant intelligentiam. Odi prophanos, pseudosophos arceo qui suæ dignitatis æstimatores malè conscii, animum quem ex divinitate hauserunt elementarem esse pronunciant; nolim concentum, harmoniamve, symmetriamve nolim definiri. Imò neque dixerim animum esse ἐντελεχέιαν corporis organici, quod non aliundè quàm à fluidorum motu vitam habere crediderim. Munus animi cogitare est & intelligere, cui muneri corpus multùm officit, ut officiunt opaca cælesti lumini.

II.

EXCOGITARE artes, ſcientias excolere, percipere ſuperos, jucundiſſima eſt animi voluptas & exercitatio. Nihil hunc abſterret aut impedit magis quàm alimentorum in ventriculum ingeſtio, à quibus vel moderatè ſumptis prohibenda omnis cogitatio eſt, ſicut & prohibendæ ſunt pleræque corporis motiones; nam à cibo nocet equitatio, nocet quævis ſaltatio, nocent choreæ, nocet venus. Prodeſt fortè levis ambulatio, ſed otium ſegne labore aſpero ſecurius eſt, quin & indulgere ſomno quàm acriter vigilare eſt ſatius. Coctio ipſa per ſomnum quàm per vigiliam ſemper eſt felicior. Ingeſto cibo ſtringitur ventriculus, horret corpus extimum atque contremiſcit; an quòd tanti ſit momenti prima coctio, natura ut hujus unius operis gratiâ colligat à partibus amotiſſimis omne robur ſuum? affluunt præſertim per nervos ſpiritus actuoſiſſimi fermentorum ἐνέργειαν promoturi. Hos ſi retines tradens te cogitationi, quid detrimenti non patitur coctio? ſed & quid vitii non experitur ipſa cogitatio? quæ nec firma nec tuta ſic unquam eſt, propter diſtractos, vel te invito, partim aliò ſatellites. Quidni & propter in ventriculo ſuccuſſionem nervorum à fermentorum vi cerebrum ſubinde conjiciamus convelli, mentis unde cogitationes non ſint tutæ.

III.

VIRES animi omnes ſimili ſorte afficiuntur dum agunt in cibos fermenta. Nam quidquid percipit ingenium, quidquid judicium volvit, quidquid coërcet memoria, percipiatur, volvatur, prodeat in lucem ut facilè, requiritur cerebri nitor, ſanguinis ad ipſum appulſus lenis, & viſcerum inferiorum placida diſpoſitio. Verùm ab evolutione ciborum viſcera turbantur & ſanguis, obnubilatur caput;

& ingenium caligat, hebeſcit judicium, memoriaque torpeſcit. An quoſvis obices mens fervens cogitationibus aſpernari amat gaudetque perrumpere? tum propter vim quam infert, incandeſcit ſanguis, ſubſequiturque corporis univerſi confuſio, mentiſque ipſius non tuta cogitatio. Scilicet ea lex eſt noſtris coæva primordiis, ut pro modulis ſolidarum fluidarumque corporis partium videantur inverti mentes, undè etiam nulla ferè niſi ſano in corpore deprehenditur ſana. Sanè ſi ſcrutemur animorum morbos, malè morata ſæpè arguunt viſcera. Ab alimentorum autem ingurgitatione crebrâ fato fatiſcunt ut plurimùm immaturo.

IV.

DE helluonum comeſſationibus non meus hic ſermo eſt, aut de ebrietate quam vel ſemel unoquoque menſe probare non eſt ſapientis; quæ totum corpus opprimunt, ſubvertunt, dejiciunt, atque affligunt humi divinæ particulam auræ. A vino inprimis offenditur cogitatio. Aqua potus eſto prudentum, & eorum omnium qui ſedulò incumbunt libris, negotiiſve quæ diſtendunt mentem. Hos ſpectat dogma noſtrum quos tangit honoris ſimul & ſuæ ſanitatis cura. Hi aurorâ micante muſis amiciſſimâ, heſternâ cœnatione, multò leviore quàm prandium fuerit, prorſus excuſſâ, toti ſe ſtudiis atque conſiliis committant. Infrequens & parca ſit reliquo die cogitatio. Quos, ſpretâ lege hâc, juvat dieſque nocteſque chartis impalleſcere, quoſque, vel dum aſſumunt cibos, non tædet rebus ſeriis implicari, hos infeliciter nutriri, miſeréque contabeſcere fateamur non modò, ſed & profiteamur neceſſe eſt; hos ipſos inſuper ſi cernas magis ac magis ab aſſumpto cibo meditantes ardua, cadere mente ſæpiùs animadvertes; ut eoſdem vel invitos oporteat antè conſopiri quàm genuino fruantur acumine.

V.

NEQUE obeſt quod notavit Celſus, quibus caput infirmum eſt, iis *ne quidem* à cibo cogitationem eſſe tutam ; quibus verbis innuere viſus eſt, juxta nonnullos, cogitationem ut plurimùm eſſe tutiorem à cibo. Me namque judice, hæc verba Celſi damnant prorſus à cibo cogitationem, qui etſi aptus videatur ad firmandam & roborandam mentem eorum qui capite ſunt infirmi, ipſam tamen, ſtatim atque ſumptus eſt, neceſſariò confundit aut conturbat. Reverâ ubi, abſolutâ coctione ciborum, ſanguis expanditur unà cum ſpiritibus recens excuſis quoquoverſùm, ipſum caput cum reliquo corpore firmius videtur evadere; ſed, ſtatim ab aſſumpto cibo, obſcurum, confuſum, turbatum, potiùs quàm validum & firmum ubique connotatur.

Ergo à cibo non tuta cogitatio.

Proponebat Pariſiis HENRICUS BESNIER Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1711.

Apud viduam Franciſci Muguet Typographi Regis. 1711.